



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CX. Ioannis Papae VIII. Ad Theodoricvm Archiepiscopvm.
Bisvntinensem. lubet vt quamprimum veniat, & episcopum in ecclesia
Lausanensi, propter electorum diuisiones, priusquam vna ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

natorum.
codice de
bon. profer.
seu damn.

tore scriptum est, spurios satis iniuriosos, satisque acerbos, & nostris temporibus semper indignos esse diiudicamus: quapropter conuenit reuerentiam vestram illum semper monere. Porro hortamur vt quoquomodo monuimus compleas, quoniam si aliter feceris, scias te canonica damnandum censura, vt debeas illos excommunicare. Data vt supra.

EPISTOLA CIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MATFREDVM COMITEM.

Monet vt Bosonis comitis filiabus hereditatem restituat.

Matefredo illustri comiti.

SVGGERENTIBVS videlicet filiabus Bosonis nuper comitis, & Engeltrudis coniugis, proximæ vestræ, audiuius vt allodes suos vos inuadentes tenere non formidetis. Super quo miramur, cur tantæ sapientiæ vir hoc facere non erubescas. Nonne scitis quoniam in hereditate suscipienda omnibus cognatis præferendi sunt filii? Illa vero mœchans alicui sine consensu viri ex his aliquid dare nequiuit omnium legum auctoritate. Vnde vos monemus, hortamur, apostolicaque auctoritate iubemus, vt ipsas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reuerentia principum apostolorum, a quibus per me petiere auxilium, minime differas: quoniam si aliter feceris, scias te canonica feriendum censura. Data vt supra.

EPISTOLA CX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD THEODORICVM ARCHIEPISCOPVM

BISVNTINENSEM.

Iubet vt quamprimum veniat, & episcopum in ecclesia Lausanensi, propter electorum diuisiones, priusquam vna colloquantur, ordinari vetat.

*Reuerentissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo
Bisuntinensi confratri nostro.*

IGITVR quia fraternitas tua, apostolicæ & vniuersalis Dei ecclesiæ persecutiones audiens, compati modis om-

nibus distulit, nosque, pro eo & cunctis aliis laborem sumentes, quoquomodo visitare neglexit, satis miramur, & ex parte turbamur, cum in te taliter caritatem frigere cognoscimus. Nonne Veritas ait: *Si frater fratrem adiuerit, ambo exaltabuntur?* & Sapientia loquitur: *Frater & amicus in laboribus comprobatur.* Et prædecessor noster Gelasius papa, terrendo in suis decretalibus, episcopis paruipendentibus fratrum vexationes scribit: Cur non compassi estis? & reliqua. Quapropter monemus, vt hætenus te negligentem pernoscas, & ad despectam caritatem nihilo minus, postpositisque omnibus curis, ad nos visitandos vna cum hoc nostro missio præsentialiter venire satagas. Ceterum audiuius, & auditu dolemus, vt in ecclesia Lausanensi, quæ sine patre nunc cernitur, sit orta contentio, eiusque filiorum in electione antistitis sit nefanda diuisio. Vnde monemus, per Deum Patrem & Filium & sanctum Spiritum obtestamur, apostolicaque auctoritate expresse iubemus, & interdicius, vt quoad ad commune eloquium nostrum peruenias, ibi episcopum neque iussu regis, neque ex petitu plebis consecrare præsumas quatenus, cum vna allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi consulto, quem vtiliorem præuiderimus, consecrare permittamus de more. Quæ hic scribere omisimus, huic legato nostro Deus dedit glorioso magistro militum, & duci, consiliarioque nostro, vt verbis dicat iniunximus. quem benigne recipite, & quæ vobis ex nostra parte tulerit, indifferenter audite. Data vt supra.

EPISTOLA CXI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD OMNES FIDELIS.

Præcipit ne quisquam Pictauiensis ecclesiæ bona inuadere & diripere præsumat, & vt ablata restituantur.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus scilicet atque futuris.

DIVINO quia Romanum pontificium largitu enitet vniuersis, &c. Extat infra in Concilio Tricassino II. numero 8.

Concil. Tom. 2. 4.

S ij